

conjectus fuerat liberatus se omnem vindictæ libidinem in Principem & Patriam exercendam, penitus ex animo dimissurum jurejurando pollicitus est Anno 1430. (e) Georgio Gileisio Johannis filio adhuc impuberi Benigna Leitleinin tenerrimæ pariter ætatis puellâ in matrimonium ab Agnatis promittitur Anno 1442. quæ Genti Gileisæ post ea tempora Castrum Pessenkirchen attulit. (f) Porro Johannes ille Gileisus & Anna Frizerstorffia uxor ejus Reinperto ab Eberstorff bona quædam & decimas accepto constituto pretio Anno 1451. plenario jure tradiderunt. (g) Eidem varia prædia jusque decimandi in Oberweideneck / Leimbach / Cholnitz / Krumnich / Reinperti ab Eberstorff patrimonio adjecerunt Anno 1452. (h) Judicium Provinciale quod in Austria est litem inter Georgium Gileis & Annam de Neideck agitatum summam mille ducentorum florenorum Hungaricorum à Johanne Gileis debitorum concernentem, Anno 1470. decidit. (d)

(a) Archivum Statuum N. 373. (b) Ibi N. 609. (c) Ibi N. 913.
 (d) Ibi N. 1199. (e) Ibi N. 2263. (f) Ibi N. 2925. (g) Ibi N. 2719.
 (h) Ibi N. 2734. (i) Ibi N. 3080.

CAPUT XIII.

BARONES DE VELLENDORF.

EX Austria nativi sunt Illustres Barones de Vellendorff, sive Velderndorff, qui hodiè in Franconiâ degunt, olim sub nomine Polterndorffiorum clari. Eorum Stemma recensuit Bucelinus part. III. Germaniæ Stematographiæ. In Archivo autem Statuum Engelhardi, Georgii & Ottonis Fratrum de Polterndorff & Sororum eorum Catharinæ & Ursulæ memoria occurrit, qui An: 1385. transactionem inierunt cum cognato Ottone de Missendorff. (a) Ex illis Georgius & Otto de Polterndorff testantibus vetustis tabulis de An: 1398. adhuc in vivis fuere. (b) Stephanum autem de Polterndorff antiquæ membranæ celebrant sub An: 1400. (c) Georgiû Volterndorffer sive Velterndorffer testem adduxit Johannes Weidner An: 1414. (d) Idem An: 1415. & 1416. sub Polterndorffii nomine in duobus documentis citatur. (e) Laurentius Polterndorffer Anno 1442. & 1445. negotia quædam expedivit. (f) Margaretha Vellendorffia in Brandhoff nata Fraundorffia genero suo Eustachio Wieser feuda quædam Melicensia Anno 1450. vendidit. (g) Wolffgangus Velterndorffer in Brandhoff citatur Anno 1455. (h) Georgius à Vellendorff testem egit Anno 1473. (i) Laurentius autem à Vellendorff memoratur in documento Anno 1488. conscripto. (k)

(a)